

# P. VERGILI MARONIS GEORGICON LIBER QVARTVS

Sin autem ad pugnam exierint, nam saepe duobus  
regibus incessit magno discordia motu,  
continuoque animos vulgi et trepidantia bello  
corda licet longe praesciscere; namque morantes                   70  
Martius ille aeris rauci canor increpat et vox  
auditur fractos sonitus imitata tubarum;  
tum trepidae inter se coeunt pennisque coruscant  
spiculaque exacuant rostris aptantque lacertos  
et circa regem atque ipsa ad praetoria densae                   75  
miscentur magnisque vocant clamoribus hostem.  
Ergo ubi ver nactae sudum camposque patentes,  
erumpunt portis; concurritur, aethere in alto  
fit sonitus, magnum mixtae glomerantur in orbem  
praecipitesque cadunt; non densior aëre grando,                   80  
nec de concussa tantum pluit ilice glandis.  
ipsi per medias acies insignibus alis  
ingentes animos angusto in pectore versant,  
usque adeo obnixi non cedere, dum gravis aut hos  
aut hos versa fuga victor dare terga subegit.                   85  
Hi motus animorum atque haec certamina tanta  
pulveris exigui iactu compressa quiescent.  
Verum ubi ductores acie revocaveris ambo,  
deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit,  
dede neci; melior vacua sine regnet in aula.                   90  
Alter erit maculis auro squalentibus ardens;  
nam duo sunt genera: hic melior, insignis et ore  
et rutilis clarus squamis, ille horridus alter  
desidia latamque trahens inglorius alvum.  
Ut binae regum facies, ita corpora plebis.                   95  
Namque aliae turpes horrent, ceu pulvere ab alto  
cum venit et sicco terram spuit ore viator

aridus; eluent aliae et fulgore coruscant  
ardentes auro et paribus lita corpora guttis.

Haec potior suboles, hinc caeli tempore certo 100  
dulcia mella premes, nec tantum dulcia, quantum  
et liquida et durum Bacchi domitura saporem.

At cum incerta volant caeloque examina ludunt  
contemnuntque favos et frigida tecta relinquunt,  
instabiles animos ludo prohibebis inani. 105

Nec magnus prohibere labor: tu regibus alas  
eripe; non illis quisquam cunctantibus altum  
ire iter aut castris audebit vellere signa.

Invitent croceis halantes floribus horti  
et custos furum atque avium cum falce saligna 110  
Hellespontiaci servet tutela Priapi.

Ipse thymum pinosque ferens de montibus altis  
tecta serat late circum, cui talia curae;  
ipse labore manum duro terat, ipse feraces  
figat humo plantas et amicos inriget imbræs. 115